





**PRORECTOR**  
**ACADEMIAE VITENBERGENSIS**  
**HENR. LEONARDVS**  
**SCHVRZFLEISCHIVS, D**  
**HISTORIARVM PROFESSOR PVBLICVS**  
**CONSILIARIVS SAXO VINARIENSIS ET**  
**PRINCIPALIS BIBLIOTHECAE**  
**DIRECTOR**  
**CIVIBVS ACADEMICIS**  
**S P D**



**N**on laude nostra, sed uirtute sua, meti-  
 endus est IOANNES GEORGIUS, Co-  
 mes, hereditate splendoris auiti, Mans-  
 feldiae, qui locum, quem tenuit, maxime illu-  
 strem maioribus ornamentis non aequauit, sed  
 excessit. Est aliqua uis sanguinis, quae a ma-  
 ioribus ducta, permanat ad liberos, uigetque in  
 posteris, et instauratae, ac traditae per manus,  
 gloriae memoriam renouat ac tuetur, praeser-  
 tim disciplina et institutione excitata, exemplif-  
 que, ad mouendum opportunis, confirmata.  
 Nec uero senuit atque obsoleuit in Mansfeldiis  
 uirtus, quae ius imaginum in Querfurtanae no-  
 bilitatis possessione obtinuit principio, tum, am-  
 plioribus fortunis aucta, gentis, quae cum Buf-  
 sone Rupertoque defecit, nomen et dignitatem  
 suscepit, atque, in omni propaginum successio-  
 ne, domi forisque, multis, et magnis, pruden-  
 tia, ac fortitudinis speciminibus eluxit. An-  
 nales rerum, maxime in Germania, Vngaria, Ita-  
 lia, Belgioque gestarum, uariae, et uberrimae  
 laudis exempla produnt, uindicantque ab obli-  
 uione hominum, et iniquitate temporum, He-  
 roas Mannorum, qui Imperatoribus Augustis  
 opera consilioque affuerunt, nullam capitis di-  
 micationem, ac ne mortem quidem ipsam, re-  
 cusarunt pro fide seruanda, et, amplissimis fun-  
 cti muneribus, togae bellicae artibus excellue-  
 runt.

runt. Tanta tot heroum simulacra totidem e-  
erant gloriae stimuli, quibus incitatus Ille, non  
teneret se domi, sed, cultum, quem loci postu-  
labat amplitudo, in Germania complexus, ex-  
ternarum gentium consuetudine usuque ampli-  
ficaret, atque in remotis Europae regnis famae,  
a maioribus relictæ, uestigia, quæ passim exta-  
bant, persequeretur. Peragrata Germania, Le-  
opoldum, solemni, magnificoque ritu inaugu-  
ratum, Francofurti uidit et ueneratus est, et Re-  
ginosburgi, aditis Imperii comitiis, prudentiæ  
lumen accendit. inde contendit ad Heluetios,  
et per Triboccos in Galliam peruenit. Multas  
prouincias longe lateque peruagatus, traiecit in  
Britanniam, et reuertens Lutetiam Parisiorum,  
lustrataque rursus omni Gallia, demigravit in  
Hispanias, et Mantuæ Carpetanorum commo-  
ratus, recepit se ad Gallos, ut adesset obsidioni,  
qua claudebatur Massilia, et, admotis tormen-  
torum molibus machinisque, concutiebatur.  
Multorum fuit iter annorum, nec uel difficulta-  
tum molestiis, uel periculis caruit, quæ tamen  
superabantur facile uel animi moderatione et  
constantia, uel labore studioque explorandi  
cuncta, quibus uel prudentiæ facultas instrui,  
uel elegantia moris excoli, uel exercitationum  
equestrium decus absolui, uel uidendi discen-  
dique cupiditas expleri posset. Rediit in pa-  
triam

triam Heros, promissaeque uirtutis sustinuit expectationem, et cum decus, uel altiori fastigio dignum, probauit, tum agendi rationem sic instituit, ut et fortuna superioribus merito par, et paribus dignitate superior, et ciuibus imperio princeps, amore indulgentiaque pater uideretur. Tantum abest, ut consecretur, quae non capit hic scripturae modus, uel memoria tenent omnes, ut acerbe feramus, tantis, quae ne pro- uecta quidem aetas detriuerat, ornamentis unum longioris uitae spatium defuisse. Deo, gentium statori et conseruatori, supplicamus, ut leniat moerorem, ex damno tam graui acceptum, et hoc obitu inclinatum Mansfeldicae gentis fortunam auspicio, et incremento, HENRICI FRANCISCI, CAROLIque excitet, sempiternaeque prosperitatis genere cumulatam, ab omni casuum offensione integram praestet. Ne tamen pietati, qua patriae suae Patri tenetur, desit iuuenis cultae et uirtutis, et doctrinae, IOANNES CHRISTIANVS FRANKIUS, oratione, ad obsequii interpretationem accommodata, publicum patriumque luctum explicabit, ut animi religionem, qua maximis Heri sui meritis coniungitur, pie declaret. Cui quidem, perendie, proxima Martis die, H. IX matutina, in Templo arcis, festo publicae celebritatis ritu, dicturo, ut frequenti concione adsitis, et nobiscum doloris societatem ineatis, Vos, CIVES, per reuerentiam, quam diuis Heroum manibus, et illustrissimae Domui Mansfeldicae, debemus, magnopere hortamur.

P. P. Dom. EXAVDI, CIO IO CC X

Ung VI 3

W 18  
V 17







DIRECTOR  
 ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**LEONARDVS**  
**ZFLEISCHIVS, D**  
 PUBLICVS  
 PROFESSOR SAXO VINARIENSIS ET  
 DIRECTOR  
 BIBLIOTHECAE  
**S ACADEMICIS**  
 S P D

